



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXXVIII. De Contractu Simoniaco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

CASUS XXXVIII.

De Contractu Simoniaco.

Quidam Aulicus promittit cuidam Sacerdoti Beneficium à Principe sua intercessione obtinendum; hac tamen conditione, ut Sacerdos se obliget ad viginti Sacra in ædibus prælaudati Aulici annuatim sine stipendio legenda.

Q 1. An per pactum cum tertia persona initum & pretium pro intercessione oblatum committatur Simonia?

Q 2. An committat Simoniam, qui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij solum explicet sua tanquam candidati merita?

Q 3. Num Sacerdos sub hoc onere accipiens Beneficium committat Simoniam?

SYNOPSIS.

S. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An per pactum cum tertia persona initum, & pretium pro intercessione oblatum committatur Simonia?

1. Essentia Simonie, & necessaria ad eandem requisita explicantur.

2. Ut Simonia commissa sit, tria alicui probanda erunt.

3. Potest Simoniacum pactum initum, vel immediatè cum Collatore Beneficij, vel cum alio quodam inter presantem, & conferentem Sc. medio.

Bbbb 3

4. Si

4. Simonia est duplex, Juris Divini & Ecclesiastici.
5. Pactum cum tertia persona initum, & pretium pro intercessione oblatum est Simoniacum.
6. Neque excusat, quod Episcopus gratis conferat, & Princeps gratis presentet, Aulicus vero rependat solas preces.
7. Preces atque intercessio hujus Aulici non sunt precise aliquid temporalis.
8. Neque obest, quod Episcopus, & Princeps hujus pacti sint isci.
9. Aut quod temporale fuerit datum non ut pretium, sed ut motivum.
10. Sensus, in quo Simonia absque pretio dari nequeat, exponitur.
11. Ex gratitudine dare aliquid conferenti Beneficium licet, si nullum pactum intercesserit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An committat Simoniam, qui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij saltem explicet sua tanquam Candidati merita?

12. Responso est negativa, hoc conferendum obligandi alterum datur, aut promittitur.
13. Semper Simonia fuit commissa, quando pro aliquo spirituali, obsequium quoddam a munere ex pacto tacito, aut expresso, vel cum exactione, aut animo commutandi pro spirituali, vel ad
14. Simonia committitur, si pro re, aut Jure Spiritualis deitur, aut exigatur aliquid spirituale, quod illi Juri Spiritualis, quod confertur, non est annexum.

S. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num Sacerdos sub hoc onere acceptans Beneficium committat Simoniam?

15. Responso est affirmativa.

16. Presertim ubi Aulicus istos annuos redditus sibi, vel exornando Sacello applicaret.

17. Idem dicendum, si viginti illa Sacra ex voto Aulicus annuatim legenda promississet.

18. Nec potest defendi lectionem horum Sacrorum esse meram compensationem laboris ab Aulico ratione intercessionis suscepti.

19. Nec satisfacis dicendo, quod Sacerdos se tantum obligaverit ad non invidium pactum exigendi stipendium.

20. Non licet dare temporale spirituali annexum pro temporali.

21. Simonia Ecclesiastica fuit commissæ, si tempore annexum spirituali detur pro alio temporali, etiam annexo spirituali.

22. Non possunt Seculares ex duobus Beneficijs facere unicum.

S. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An per pactum cum tertia persona initum, & pretium pro intercessione oblatum, committatur Simonia?

¶ **C**um simonia à D. Thoma in 4. dist. 25. q. 3. a. 1. & 2. 2. q. 100. art. 1. de simonia & à communi Theologorum & Juristarum definiatur esse studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum; ideo colligitur ad simoniam constituendam tria requiri: pactum scilicet emptionis, ven-

ditionis, sive ejusmodi alicujus commutationis, 2. Pretium, sive rem temporalem, & 3. Mercem sive rem sacram & spiritua-lem aut spirituali antecedenter, concomitanter, vel consequenter annexam. Wiestner de simonia art. 1. n. 2. & alij

Colligitur 2. Ut probatur simoniam in hoc casu intervenire con-

con-

consequenter ostendendum esse, concurrere hinc aliquid spirituale, aut spirituali connexum, item aliquid temporale, & denique pactum, quo spirituale aut spirituali annexum emitur aut venditur tanquam merces pretio seu re temporali.

3. Colligitur 3. Pactum simoniacum posse iniri immediatè cum ipso patrono vel collatore beneficii, aut rei spiritualis, vel cum alio tertio, inter presentem beneficium, & potentem hoc conferre, vel ad illud presentare medio: quod postremum duplici modo contingere potest, in quantum scilicet iste medius & tertius se tantum obligat ad explicanda patrono vel collatori merita & habilitatem Candidati, vel etiam quod ut intercessor pro Candidato suas preces ac intercessionem velit interponere.

4. Denique ulterius notandum, simoniam aliam esse juris divini, & aliam Ecclesiastici. prior est, quæ jure divino aut naturali est prohibita; seu, qua pro temporali datur res de severè spiritualis, aut huic annexa. posterior seu juris Ecclesiastici tantum est, quæ prohibita est jure Ecclesiastico, seu qua una res spiritualis aut huic annexa datur pro alia re spirituali, aut huic annexa; quod in permutatione beneficiorum contingere consuevit, vel juxta Patrem Melchiorem Friderich Ecclesiastica simonia est, cujus malitia imme-

diatè provenit à prohibitione Ecclesiæ, ex motivo Religionis, ac reverentiæ rebus sacris debitæ aliquem contractum aut pactum circa hanc vel illam rem vetantis.

Dico 1. etiam pactum cum tertia persona inritum & pretium pro intercessione oblatum est simonia, ita docent Sylvester: *V. simonia q. 6.* Navarrus *Manuali. cap. 23. n. 106.* Lessius *cap. 35. n. 46.* Suarez *cap. 53. n. 14. hic Palao de simonia. pu. 11. n. 4.* Bonavent. *major gab. sumista omnes*, Tabien Navarrus *citati apud Palaum loco citato Wiestner hic n. 68.* Melchior Friderich *de simonia n. 42. cum communissima aliorum.* Probatum conclusio primo Authoritate D. Thomæ, *qui 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* simoniam redarguit eum, qui ad spirituale obtinendum sibi viam sternit pecunia aut aliqua alia re pretio æstimabili: sed qui dat tali tertio temporale quid pretio æstimabile, ut suas preces apud collatorem vel patronum beneficii interponat, pandit pecuniâ, aut aliqua alia re pretio æstimabili sibi viam ad beneficium: ergo committit ex mente D. Thomæ simoniam, probatur minor, qui obtinet beneficium per intercessionem, pro qua temporale quid promittit, obtinet verè beneficium per aliquid temporale, non minus ac si temporale immediatè daret ipsi patrono aut Collatori; sed taliter obli-

obtinens pandit sibi viam ad spirituale per temporale: ergo &c. Probatur Major: quoad effectum nihil interest, utrum officium per rem temporalem immediatè obtineat à collatore, aut à patrono an mediatè tantum per intercessionem: ergo &c.

Confirmatur ex *Canone statutus 107. causa 1. q. 1.* ubi Nicolaus secundus asserit, dari tres species simoniacè ordinatorum, atque ex istis unam esse, qua ordo simoniacè collatus est, in quantum pecunia non ipsi ordinanti, sed istius ignorantis familiari collata fuit: ergo agnoscit Pontifex committi simoniam, si tertio cuidam detur res temporalis, quando enim ipsi ordinanti datur, tunc ordo confertur Simoniacè à Simoniacis collatoribus, quæ est alia species.

Confirmatur 2. *Urbanus 2. in Canone finali 1. q. 5.* cum ordinato Simoniacè ad ordinum usum dispensavit, pro quo pecunia non ipsi ordinanti Episcopo sed alicui Principum, hoc est Episcopi familiari fuerat data: ergo hoc modo committitur Simonia, cum autem hoc in canone sermo fuerit de Presbyterio per pecuniam obtento, ideo nulla est responsio authorum, ad citatum hunc textum asserentium, per quendam Principum ibidem intelligi, quendam ex Electoribus, cui pro suffragio in electione fuerat data pecunia, minime enim per electio-

nem ad presbyterium promotio fieri in Ecclesia consuevit.

Probatur eadem nostra conclusio 2. In tali casu datur pactum solvendi aliquid temporale pro spirituali: sed tale pactum juxta dicta est Simoniacum: ergo &c. Probatur Major, datur temporale pro hac intercessione, sed hæc est aliquid spirituale: ergo &c. probatur minor: hæc intercessio & preces sunt causa moralis conferendi Beneficij, & hoc virtute continent: neque ex alio capite æstimantur, atque emuntur, nisi prout virtute & tanquam causa moralis continent Beneficium: ergo intercessio est aliquid virtute, & in sua vi causans aliquid spirituale. Ita sentit Navarrus *consilio 56. § 57.*

Confirmatur. æquè necessarium fuit, ut modus proveniendi ad Beneficia per solutionem rei temporalis tali tertio facta tanquam Simoniaca prohiberetur, ac necessarium fuit, ut prohiberetur dari immediatè pecunias ipsi patrono aut collatori: ergo æquè est Simoniacus. probatur antecedens. ideo collatio Beneficij obtenta per pecunias immediatè collatori aut patrono datas est prohibita ut Simoniaca, quia aliàs indigni exclusis dignis promoverentur ad Beneficia: sed hoc æquè fieret in casu nostro, uti patet consideranti: ergo &c.

Probatur eadem conclusio 3. Vel tali tertio promittitur ob inter-

Cccc

ter-

tercessionem & preces faciendas res temporalis sub conditione, si scilicet istæ efficaces fuerint, & Beneficium collatum actu, vel promittitur absolute, siue effectum habuerint siue non? in utroque casu committitur Simonia: ergo &c. Si primum, tunc temporale datur pro ipso Beneficio; datur enim solo intuitu Beneficij obtinendi, non autem intuitu solo precum & intercessionis: ergo &c. probatur antecedens. si temporale solo intuitu precum daretur, tunc quocumque hæ preces fuerint datæ, esset alter obligatus ad dandam rem temporalem intercessori: atqui juxta casum non vult esse obligatus, nisi preces sint efficaces, & consequenter non etiam tunc, si sola istæ fuerint interpositæ: ergo non datur temporale intuitu solum precum, sed intuitu Beneficij. Ita sentit Suarez l. 4. de simo. c. 53. n. 15. consentientibus cæteris omnibus. Confirmatur ex Canone, si quis objecerit can. 5. caus. 1. q. 3. hic enim dicitur, qui horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum dereliquit. ergo qui vendit suas preces & intercessionem non sine, sed cum obtenta & impetratione Beneficij, etiam vendit Beneficium: ergo vendit aliquid spirituale pro temporali. Si secundum ponatur, dari scilicet & promitti rem temporalem intercessori, modo preces interponat,

siue deim istæ efficaces fuerint, siue non, nihilominus committitur Simonia: ergo &c. probatur antecedens. Sacerdos etiam hoc modo intendit Beneficium tantquam effectum precum ac intercessionis, cum quibus collatio Beneficij connectitur, estque per accidens, si non sequatur Beneficium.

Ob. contra hanc conclusionem 6
I. Princeps præsentat in hoc casu ad Beneficium gratis: insuper ipse Episcopus illud gratis confert; qui autem pretium temporale accipit, nihil spirituale rependit, sed tantum preces, ac laudes candidati interponit: ergo non committitur in hoc casu Simonia. R. neg. conf. Ratio est, quod etiam hac ratione obtineatur Beneficium juxta probata per aliquid temporale: præterea via sternitur per aliquid temporale ad Beneficium: ipsæ preces, ac intercessionem sunt aliquid virtualiter spirituale, quia continent in sua vi, ac virtute causandi, & movendi Beneficium: & hæ preces comparantur pretio temporali.

Urgent: quod est temporale, 7
atque ex justitia non debetur, illud est pretio æstimabile juxta Sotum l. 4. de Just. Baanez utrumque Lederma: atqui intercessio, & interpositæ preces tertij in se habent: ergo sunt pretio quid æstimabile. R. negando, quod sunt aliquid merè temporale confor-

formiter ad dicta in nostris probationibus.

8 Urgent 2. Tam Patronus quam Collator in hoc casu ignorant, tertium scilicet intercessorem accepisse pecunias: ergo non committitur Simonia. R. neg. conf. Ratio est, quod ipse Candidatus non ignoret, quia ipse pecuniam promittit, aut jam dedit, sicuti ergo Simonia juxta Auctores committitur, quando ignorante Candidato conferens, aut presentans ad beneficium cognoscit pecunias datas fuisse, ut obtineatur Beneficium; ita pariter Simonia commissa fuit, si & Collator, & Patronus ignorent, non autem ipse Candidatus, inter alias enim species Simoniæ est etiam ista, quando Simoniaci Simoniacè à non Simoniaci ordinantur, citato *Canone statumus 107. caus. 1. q. 1.*

9 Ob. contra eandem conclusionem 2. Simonia committitur tunc tantum, quando temporale pro spiritali tanquam pretium datur; sed potuit tali intercessori dari temporale non tanquam pretium, sed solum ut motivum: ergo potest contingere, ut non committatur Simonia. R. neg. Maj. licet enim ut motivum tantum, ex pacto tamen aliquo, datum fuerit, commissa nihilominus Simonia fuit: Innocentius enim XI. damnavit hanc propositionem; *dare temporale pro spiritali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium,*

sed duntaxat ut motivum conferendi, vel efficiendi spiritali. 2.

Etiam in hoc casu paratur via ad spiritali per aliquod temporale, daturque aliquod temporale animo obtinendi spiritali. Sed juxta *cap. tua Nos 34. & cap. ult. de Simonia.* In hoc casu committitur Simonia saltem mentalis. 3. Hac ratione in foro externo omnis Simonia foret sublata, cum quis diceret se temporale non ut pretium, sed solum ut motivum dedisse. 4. Qui dat temporale tanquam motivum, dat temporale animo obtinendi spiritali; sed quando datur temporale animo obtinendi spiritali intercedit emptio virtualis: nam in estimatione communi hoc idem est, ac comparare pretio, seu emere aliquid spiritali: cum ergo ad Simoniam sufficiat etiam emptio virtualis, atque expressè æquivalens juxta *TT. ac Juristas:* ideo hæc vera Simonia commissa fuit.

Dices: Simonia non potest 10 committi absque pretio: sed quando datur temporale ut motivum, non datur ullum pretium: ergo neque Simonia. R. distinguo Majorem, non potest committi absque pretio, id est, quin aliquis reflexè, atque in actu signato intendat dare temporale tanquam pretium. Negatur major, absque pretio, id est, quin per temporale, quod dat, aut daturus est, re ipsa intendat obtinere spiritali, concedo Majorem,

Cccc 2

&

& nego consequentiam. Hoc ultimum sufficere D. Thomas, & Suarez cap. 36. de Simonia, num. 6. § 7. ex cap. tua Nos collegerunt.

¶ Ob. 3. Potest talis Candidatus ejusmodi intercessori ad dandum temporale obligari ex mera gratitudine: ergo non fuit commissa Simonia. Probatur consequentia, juxta omnes Authores est licitum dare ex gratitudine aliquid conferenti beneficium, saltem post huius collationem: ergo si ad hoc se obligavit, ut faciendum ex gratitudine non commisit Simoniam. ¶ nego consequentiam. In probatione distinguo antecedens: istud est licitum, si nullum pactum antecesserit, nec emptio aut venditio, conc. Si tale pactum dandi aliquid ex gratitudine antecesserit. nego antecedens, & consequentiam. Quod sine præcedente pacto ex gratitudine aliquid temporale post collatum Beneficium liceat dare. Patet ex cap. dilectus 30. de Simonia. ibi: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum, item cano: quidquid V. nisi voluntariè ablata: 101. 1. q. 1. cap. antiquum 1. b. t.* Ex opposito, quod præcedente pacto id facere non liceat, docemur ex cap. tua Nos 34. b. t. hic enim Pontifex de Clerico in Canonicum recipi cupiente, ac sua bona Ecclesie offerere, dicit, *si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, que offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admisiuri, sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur.*

Contra est 2. Si intercessor, vel quicumque alius conferens spirituale ex titulo gratitudinis exigit aliquod temporale donum absque Simonia; tunc mira rerum confusio inducetur, omnisque magno animarum damno conventiones suas Simoniacas obtegent, dicendo se pacisci pro spirituali de aliquo temporali, tanquam de quodam Antidoro, & non de pretio.

Confirmatur. Si aliquis cum tali Aulico ita conveniret: ego tibi hunc meum equum dono, sed tu ex gratitudine dona mihi 100. florenos, juxta omnes inter illos contractus emptionis, & venditionis fuisset celebratus: ergo etiam celebratus fuit contractus emptionis. Si aliquis Aulico diceret, dona mihi Beneficium, & ego ex gratitudine dono tibi hoc temporale. Tertio cum obligationi gratitudinis satisfieri possit, vel per aliquid spirituale, vel per aliquid temporale, & quidem vel per hoc, vel per aliud temporale; hinc naturalis obligatio gratitudinis non exigit, ut benefacto-

ri reddatur certum aliquid, ac determinatum, temporale potius, quàm spirituale: ergo qui se obligat ad dandum aliquod temporale potius, quàm ad spirituale, item ad hoc potius temporale determinatum, quàm ad alterum, promittit aliquid ultra debitum gratitudinis: sed quod promitti-

tur ultra debitum gratitudinis, habet rationem pretij, cum ab altero exspectatur nequaquam ratione gratitudinis, sed ratione fidelitatis, atque justitiæ pro ipso Beneficio: ergo datur nova obligatio ex titulo oneroso, consequenter committitur Simonia.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An committat Simoniam, qui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij saltem explicet sua tanquam Candidati merita?

Dico 1. Qui alicui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij solum explicet sua Candidati scilicet, merita, speculativè loquendo non committit Simoniam. Ita sentiunt Diana p. 11. tract. 6. resol. 31. Mathæus de Morga p. 2. qq. select. tract. 2. disp. 1. q. 4. n. 9. Palao p. 11. n. 5. Wiesel. hic n. 69. Friderich, n. 50. Prob. mediator in hoc casu non plus facit, quàm Advocatus explicans causas, ac merita sui Clientis, etiam in causis spiritualibus v. g. matrimonij: ergo, sicut Advocatus, obit officium merè temporale, ac pretio æstimabile, nec ipse est causa moralis collationis, aut præsentationis.

Ita etiam se taliter habebit ejusmodi Mediator, qui exponit merita supplicantis, ut ista, & non merita, ac preces hujus Mediatoris moveant: consequenter non minùs, ac Advocatus aliquod salarium accipere poterit? Dixi, si sit pretium proportionatum, & speculativè loquendo, si enim pretium sit nimis magnum, quando comparatur cum quantitate laboris in exponendis meritis Candidati exantlati: nequaquam fuit illud datum intuitu solus hujus laboris, sed intuitu intercessionis, ac interponendarum ab intercessore ac Mediatore precum, & consequenter ut obtinendi, de-

Cccc 3

pen-

pendenter ab istis Beneficij compensatio.

Dein quia hujusmodi Mediatores, & Advocati sæpè excedunt officium informantis, vel monentis, insuper plus exhortentur, ac moveant, quàm ipsa supplicantis merita nudè, ac simpliciter exposita moverent, ideo in praxi istud periculosum est, & solum speculativè loquendo absque Simonix labe probabile.

13 Dico 2. Quandocunque pro aliquo spirituali v. g. Beneficio datur, vel promittitur obsequium aliquod à munere ex contractu tacito, aut expresso, vel cum exactione, aut animo commutandi pro spirituali, vel ad hoc conferendum obligandi alterum, commissa fuit Simonia. Ita Suarez l. 4. c. 39. a. n. 5. § n. 12. Man. Rodriq. verbo *Simoniam* cap. 39. n. 9. Panormit. Laym. l. 4. tract. 10. cap. 8. n. 25. Palao pu. 3. num. 8. asserens hoc admitti ab omnibus; venit autem nomine obsequij à munere nihil aliud, quàm obsequium præstitum per propriam personam. Prob. illud habet rationem pretij, quod pecunia solet compensari, sed talia obsequia ab ipsa persona præstita solent pecuniâ compensari: ergo habent rationem pretij. Prob. 2. in cap. cum essent 12. de *Simoniam*. Promissio cuidam facta de Beneficio illi præstando, si negotium quoddam promittentis in curia Romana promoveret, censetur Simo-

niaca: ergo &c. Prob. idem 3. ex *Can. quam pio* 2. *Can. sicut Episcopum*: 4. 1. q. 2. item ex cap. *est questiones* 18. cap. *dilectus* 30. in fine, § *cap. tua* 34. hac rubrica.

Ex quo inferunt Doctores Simoniam fuisse commissam, si conferat aliquis, præsentet, aut eligat alterum sub conditione, ut Beneficiatus præster obsequium Beneficio non annexum, v. g. ut doceat suos liberos Grammaticam, Geometriam &c. quin inò etiam Beneficia Ecclesiastica respectu alterius Beneficij, licèt sint aliquid spirituale saltem ex dispositione, vel præsumptione Juris Ecclesiastici, habere aliquo modo rationem pretij. Docemur ex cap. *quaesitum* 5. § *cap. cum olim* 7. de *verum permut.*

Item juxta Richardum in 4. dist. 14. 25. art. 3. q. 1. Paludanum, & P. Melchiorum Friderich. Simoniacum obsequium est, si pro re, aut jure spirituali detur, aut exigatur aliquod spirituale, quod illi juri spirituali, quod confertur, non est annexum: in his enim casibus Simoniam saltem juris Ecclesiastici committi deducitur, ut certum ex cap. *de hoc* 11. de *Simoniam*, traduntque omnes TT. ac Juristæ, hinc committetur Simoniam, si Patronus præsentaret Sacerdotem cum onere dicendi pro se Patrono; aut ad suam intentionem certas Missas, orationes, vel cum onere dandi in electione.

Etione suffragium suo filio &c. quin imò & Simonia Juris Divini committetur, si spirituale obsequium quòd præsentans pro Be-

neficio collato, exigit gratias sibi fieri, atque exhiberi, alias mereatur stipendium aliquod ut sibi debitum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum?

Num Sacerdos sub hoc onere acceptans Beneficium, committat Simoniam?

15 **Q**Uæ hætenus attulimus, facilem nobis efficiunt solutionem præsentis casûs, qui supponit, quòd Aulicus velit intercessione sua nec non suis precibus ac commendatione impetrare Beneficium Sacerdoti, si tamen iste se obligaverit ad dicenda sine exactione stipendij annuatim 20. Sacra; cum enim ex dictis constet, Simoniam committi, si alicui tertio detur ex pacto aliquod temporale, ut iste obtineat sibi Beneficium, non daturus illud temporale, si Beneficium non fuerit obtentum; hinc manifestè committetur in præsentis casu Simoniam si obligatio ad legenda totidem, Sacra annuatim sine stipendio sit aliquid temporale, cum intercedat aliquod pactum, datur insuper merces Simoniacæ Beneficium scilicet, & simul pretium, seu res aliqua temporalis.

16 Ut autem meliùs appareat promissam à Sacerdote obligationem

istam esse quid temporale, varix circumstantiæ expendi debebunt, quæ in hoc casu intervenire possunt, vel enim potuit esse fundatio aliqua annua olim facta, cujus annui reditus deputati fuerunt in stipendium legentis annuatim in Aulici ædibus 20. Sacra, potestque contingere, ut illi reditus annuatim fluant, quòd si itaque, ipse Aulicus hos 20. florenos sibi velit appropriare in compensationem obtenti Beneficij manifestum est dari temporale pro spirituali. Accedit, quod jus percipiendi reditus temporales in Beneficijs comprehensum ex istorum primæva institutione annexum sit officio spirituali, ut non nisi propter hoc alicui competere valeat. vi cap. fin. de rescriptis in 6. item solis Clericis ad officia divina per Sacros ordines deputatis, aut saltem prima tonsura initiatis convenire valeat vi cap. in Eccles. 2. de Institutionibus. quod ipsum etiam verificabitur, si annum stipendium

dium

dium conservando vel exornando facello applicaretur, quia hoc non obstante spirituale emeretur remissione illius annui stipendij Sacerdoti ob lecta Sacra ex mente fundatoris debiti.

- 17 Quod si autem nulla fundatio facta fuerit, vel foundationis redditus non fluant, vel Aulicus ex voto ad totidem Sacra annuatim legi curanda se obligasset, vel sine omni obligatione ad majorem suam devotionem hæc Sacra intenderet nihilominus temporale pro spirituali ex contractu dabitur probatur. *cum juxta cap. extirpanda §. 1. in fir. de præb. can. militare caus. 23. q. 1.* Clericus non teneatur proprijs stipendijs militare, ideo tali Sacerdoti ratione lectorum Sacrorum competit aliquod jus proprietatis & justitiæ ad exigendum aliquod pro sua sustentatione stipendium, quod jus est aliquid temporale: ergo cum hoc jus remittat intercessori, ipsique det, sequitur quòd aliquid temporale det pro spirituali. antecedens quoad imum membrum probatur. Christus atque Apostolus usi fuerunt talibus verbis, quæ indicent Sacerdoti competere tale jus justitiæ; nam verba *merces*, qua dignus dicitur operarius esse: *non militare suis stipendijs, debere ministrare carnalia*, & alia similia utique judicant aliquod jus rigorosum ad stipendium sustentationis, quòd autem hoc sit aliquid temporale indicat

Apostolus ad Rom. 15. v. 11. si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si carnalia vestra metamini: ergo competit Sacerdoti aliquod jus ad hoc stipendium, & hoc est aliquid temporale: ergo si hoc datur pro Beneficio, datur aliquid temporale pro spirituali.

Probatur 2. Obligatio legendi has missas in tali loco tali die tali tempore, item non accipiendi stipendium, pro Missis ad aliorum intentionem legendis est aliquid pretio aestimabile: ergo si aliquis obligationem istam valde gravem in se suscipit in gratiam & compensationem Beneficij collati tunc utique pro hoc datur aliquid temporale. Confirmatur, munus ab obsequio est, legere alteri determinato tempore, loco, annuatim 20. Sacra, estque hoc obsequium ex se non alligatum Beneficio conferendo: ergo cum juxta dicta § cap. cum essent 12. § cap. de hoc 11. de Simonia receptam DD. sententiam ad Simoniam sufficiat dare tale munus ab obsequio, dabitur hic Simonia, sive dein Sacerdos ad ista se obligaverit ex titulo justitiæ, sive ex mera gratitudine, sive illa promiserit ut merum motivum, sive ut pretium.

Quod si autem Sacerdos dicat, 18 se ista promississe solummodo ut compensationem laboris, quem Aulicus in explicandis meritis Candidati habiturus est, respondeamus primò, id falsum esse; quia Sa-

Sacerdos utique non vult obligatus esse ad Legendam illa 20. annuatim Sacra, si Beneficium non obtinuerit, cum Aulicus exigat, ut toto illo tempore legat, quo retenturus erit Beneficium sibi collatum. 2. Istud pretium est minus magnum, atque improporcionatum labori, pro quo promissum fuit: ergo apparenter tantum & ad tegendam Simoniam hic titulus fuit allatus, re ipsa vero intentum, ut suas preces & intercessionem adijceret aulicus. probatur consequentia juxta Suarezium. cap. 45. n. 5. & Laym. cap. 8. n. 8. Wiestner hic n. 2. vi cap. tua. 24. de Sim. in foro externo presumitur intervenisse pactum commutandi temporale pro spirituali, si promissio facta sit multo major, quam solus labor Aulici, insuper pactum seu promissio antecedit ipsam preferentationem vel acquisitionem Beneficij: ergo &c.

19 Dices: Sacerdos faciendo istud pactum duntaxat se obligavit ad hoc, quod non velit inire pactum vi cuius posset exigere aliquid ad suam sustentationem: ergo non commisit Simoniam, probatur consequentia: jura prohibent omnia pacta in spiritualibus, ut habetur in cap. ultimo de pactis & Can. quam pio. 1. q. 2. item permittunt haec stipendia ut sponte oblata accipere, non tamen exigere vi Can. 100. & 101. 1. q. 1. ergo si tantum nullum pactum

inijt, vi cuius aliquid dein exigat, non commisit Simoniam, cum nemo committat Simoniam renuntiando illi quod jura prohibent. 2. transeat antecedens nego consequentiam: in hujus probatione distinguo antecedens. prohibent jura pactum vi cuius temporale exigatur tanquam pretium pro re spirituali: concedo. vi cuius exigatur aliquid stipendium, tanquam sustentatio personae negatur, stipendium sustentationis debetur ipsi Sacerdoti quod autem mihi est debitum, illud etiam possum in pactum deducere: ergo talis Sacerdos nequaquam renuntiaret pacto, quod non licite posset facere, sed juri antecedenter ipsi ad omne pactum competenti.

Dices 2. In quolibet Beneficio datur aliquid spirituale, & simul aliquid temporale, illud est jus & obligatio administrandi spiritualia officia, temporale autem est jus percipiendi redditus temporales Beneficiato assignatos. insuper in praesenti casu Aulicus dat Sacerdoti aliquid spirituale obligationem scilicet legendi Sacra in loco Beneficij, & simul acceptat à Sacerdote aliquid spirituale, obligationem scilicet legendi Sacri in suis aedibus, pro jure autem percipiendi fructus Beneficij, quod est aliquid temporale, acceptat etiam aliquid temporale, exemptionem scilicet ab onere solvendi sustentationem Sacerdoti ob lecta
Dddd Sacra

Sacra debitam : ergo datur spirituale pro spirituali , & temporale pro temporali : non autem temporale pro spirituali : ergo non committitur Simonia , *re. distinguo* consequens ultimum : ergo non committitur Simonia , si non daretur temporale annexum spirituali pro temporali transeat. Si temporale annexum spirituali datur pro temporali , negatur. Simonia definitur , quod sit studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum : cum ergo reditus Beneficij conferendi , sint aliquid temporale & annexum spirituali Beneficio , isti autem darentur pro temporali , jam committitur Simonia.

²¹ Urgebis. sicut reditus annexi Beneficio conferendo sunt aliquid temporale , sed tamen annexum spirituali , ita etiam stipendium debitum pro missis annuatim legendis sunt aliquid temporale , annexum tamen etiam spirituali : ergo datum est proportionatum accepto , neque datur purè temporale pro spirituali , *re. transmissio* toto Enthymemate nego suppositum , quod in hoc casu non committatur Simonia Ecclesiastica , hæc enim est illa , cujus malitia immediatè provenit à prohibitione Ecclesiæ ex motivo Religionis , & reverentiæ rebus Sacris debitæ , aliquem contractum vel pa-

ctum circa hanc vel illam rem ventantis : cum ergo *cap. quasitum 5. cap. cum olim 7. de rerum permutatione : cap. cum pridem 4. de pactis cap. constitutus 4. de transact.* Ecclesia prohibeat permutationem Beneficiorum , tanquam Simoniacam , si illa fiat aliter , quam legibus Ecclesiæ permittatur. item venditionem Beneficiorum secundum id , quod temporale est , ideo in tali casu committitur Simonia Ecclesiastica ita Suarez c. 2 § 7. Lessius l. 2. de Just. § jure cap. 35. n. 25. Palao tract. 17. disp. 3. p. 2. n. 2.

Urgebis : saltem potest dici ,²² quod alicui tantum intendat duo Beneficia conjungere , & ex duobus facere unum , conjungendo Beneficium domesticum Beneficio publico , de novo Sacerdoti conferendo : ergo non committetur Simonia , *re. quod seculari non liceat alicui Beneficio obsequium huic necdum annexum adijcere* novumque Beneficium ad obsequium antea non annexum præstandum obligare quòd ista præstari solum possint ab habente legitimam potestatem , qualem habent soli Prælati Ecclesiæ in casibus jure vel consuetudine concessis. vide Canonistas in *cap. prohibemus de censibus cap. unicum , ut Ecclesia Benef. sine diminutione conferantur § cap. constitutus de Religiosis domibus.*